

- In tumulando tamen quoddam reor esse levamen,
 Hinc avibus vel equis facta sepulchra legis.
 Psitacus Ovidii tumulo tituloque superbit,
 50 Quod¹ dixit moriens lingua 'Corinna, vale'.
 Magnus et exequias regali funere dignas
 Claro² Buchephalo fecit equo Machedo;
 Eius et ad laudem preclaram condidit urbem
 Illius equivocam nomine³ Buchephalam⁴.
 55 Et culicem magni celebravit Musa Maronis⁵
 Et Culicis⁶ titulum iunxit ad 'Arma virum'⁷.
 Morte sua vitam servaverat ille poëte,
 Quem Maro dum peremit, nulla sepulchra dedit.
 Sed⁸ facit æternum carmen per secula clarum,
 60 Exiguusque culix versibus est celebris.
 At⁹ titulum pituli nolo cessisse Maroni:
 Nobilitabo canem, Virgilius culicem.

f. 183^{b1}:

- Effigies turris constructa refertur Athenis
 Octo presculptos¹⁰ gestans octogona ventos,
 Quorum qui flaret, facile res apta probaret.
 Eius enim summo prestans trigonis imago
 5 Virgam gestabat; quam quisquis ventus agebat,
 Illum conversa mireris tangere virga,
 Hanc imitaturus ventosque loco positurus
 Quemque sua videas quas fert horoscopus umbras¹¹.
 Dumque dies libra nocti responderit æqua,
 10 Mane stilo primi vibrato lumine Phebi¹²
 Umbram pingere nota sit parte Favonius illa.
 Hinc¹³ contraversum Solanum ponis¹⁴ ad ortum.
 Ast ubi sol medii centrum continget Olympi,
 Atque stilus sextam prodet spectantibus horam,
 15 Umbre, quam ponet gnomo, Septentrio prestet.
 Huius ab adverso locus insignibitur Austro.
 Inter Solanum depingitur Eurus et Austrum.
 Chaurus ad hunc versus, seu mavis dicere Chorus.
 Quem spectas Aquilo sit proximus Affricus Austro.
 20 Hos ita Vitruvii docuit sollercia pingi.

1) 'Qod' Hs. 2) 'Calaro' Hs. 3) aus 'momine' korr. Hs.
 4) Solin. 45, 7—9. 5) Den Vers hat m am Rande hinzugefügt
 6) 'cucilis' Hs. 7) Verg. Aen. 1, 1. 8) 'Se' Hs. 9) 'Ad' Hs.
 10) 'presculptos' Hs. 11) Der Vers ist von m am Rande hinzugefügt.
 12) 'phepi', b korr. m. 13) 'Hr' oder 'Hs' Hs. 14) aus 'pornis' korr. Hs.